



נותן שמן בין ריסי עיניו ומוטן באצבעו מזה לזה ער
 שהוא כמין כי יווני. *Tradunt magistri nostri. Quomodo unguunt reges?*
Per modum coronae. Et sacerdotes? Primo effundit ipsi oleum super caput,
postea ducit oleum inter palpebras oculorum illius, et ungit digito suo hinc et
hinc, donec fieret sicut figura Chi graeci. Modo unktionis iam a nobis
 pertractato, duae quaestiones, ut ad eas respondeamus, a nobis requirunt,
 altera, quantum olei in caput Pontificis M. cum ungeretur, profusum sit?
 altera uero, quando desierit ritus ille unktionis in republica Iudaeorum?
 Videri quidem poterat, largius esse effusum sacrum oleum in caput Pontificis,
 si uerba DAVIDIS *Pf. CXXXIII, 2.* consulueris, ubi de rara fratrum gratia
 affirmatur, quod ob suauitatem suam similis uideatur oleo, in caput Aaro-
 nis effuso, quod defluat in barbam, destilletque in oram uestium eius. Verum
 si *Gemaricorum* ^{m)} dictis fidem habemus, non solum intelligimus, parum
 omnino fuisse oleo sacro, ne, quod saepius monent Hebraei, nimium in un-
 ktione consumatur olei, sed etiam id, in quo conuenisse dicuntur fratres, gra-
 tia inter se iuncti, cum oleo, iucunde ab iis explicari: ת"ר כשמן הטוב
 על הראש ונו' כמין שתי טיפין מרגליות היו תלויות
 לאהרון בזקנו. *Tradunt magistri nostri, illud quod dicitur Pf. CXXX, 2.*
intelligendum esse: sicut duae guttae, seu margaritae, quae dependebant a barba
Aaronis. Tempus denique, quo defuisse creditur oleum, et unctio eo
 peragenda, a Iosiae temporibus repeti solet. Defuit certe, ex confessione
 omnium, in templo secundo. ⁿ⁾

X

^{m)} ad Codicem CHERITVT f. 77. b.

ⁿ⁾ Conf. SELDENVM de *successione in Pontificatum Lib. II. Cap. IX. pag. 244. sequ.* SCHICKARDVM de *Iure regio Hebraeorum Cap. I. Theorem.*

IV. p. 70. BRAVNIVM in Selectis sacris Lib. IV. Cap. IX. §. CXXXIX. p. 481. DASSOVIVM in Dissert. de Signis crucis gentis hebraeae §. XVIII-XXV.